



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Initium Sapientiæ & Finis: Timor Domini, & Amor Dei: Seu  
de fuga peccati, deque dilectione summi boni**

**Comitin, César Jean-Baptiste**

**Coloniæ, 1709**

§.7. Amor beatificus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50773](#)

erit, nec fames. Quid dieam nescio; sed Deus habet quid exhibeat, non invenientibus quo modo dicant. Hæc est enim illa mensura, qua est sine mensurâ. Quod expectamus à Deo, non est nisi Deus. O regnum beatitudinis æterna, ubi juventus nunquam senescit, ubi decor nunquam pallescit, ubi amor nunquam tepescit, ubi sanitas nunquam marcescit, ubi gaudium nunquam decrescit, ubi vita terminum nescit! Tanquam latantium. (Augustinus, & Bernardus.) Quid est tanquam? quare tanquam? quia talis erit tibi jucunditas, quam hîc non novimus. O spectaculum non jam mundi, neque de mundo; sed Dei, deque Deo! Ut enim hîc spectaculum facti sumus, sic ille nobis vicissim in cælo. En erit unquam illa felix hora, nec jam brevis mora, quâ te fruar, Deus meus, in immensum, in æternum, in idipsum! O sancta Sion! cuius recordando super flumina sedimus & levimus, spe læti, re tristes.

### §. 7. Amor beatificus.

Est tamen, est adhuc unum, sine quo certa sint nihil; osculum nuptiale & reciprocus amor inter ambos, dico sponsum atque spon-

sponsam. Hæc est totius beatitudinis finis. Hic apex. Quippe animæ centrum Deus est, cui jam inde à primis incunabulis volens nolens usque suspirat; in quod unum tanto ambitu, totóque pectore incumbit, tam diù dilata, toties impedita. Ergò ubi post tot exantlatos labores, tótque pericula , tótque mortes, invenitur quem unicè diligit ; ubi possidetur ; ejus suíque secura ; nimirum hoc illud est voluptatis immensa pelagus, quod ne animo quidem ac cognitione comprehendi potest. Addo summam infinitamque sponsi Dei pulchritudinem , quâ sic inardescit magis ac magis , ut quò plus videt, plus deperire cogatur. Non enim, ut in rebus creatis, suos habet illa pulchritudo nævos, suosque fines ; sed incircumscripta sempérque spectanti crescens, infinito quodam pondere rapit amantem. Hinc anima tota Deo cohærens, immersa, ac velut æternis quibusdam vinculis illigata, tanto fertur amoris impetu , ut præ divertii vel unico momento nihil innumerabiles inferos putet. Hinc etiam ecstases, suspiria, raptus, animi deliquia, jugisque languor : & quia se scit æquè, imò infinito plus à Deo redamari; hinc æstus amoris, altero in alterum ex-

ultante & quodammodo sese reciprocante, & utroque alternis claimante : *Dilectus mens mihi, & ego illi!* Præterea quoniam ipsa novit à ceteris cæli civibus non minùs quàm à se tam amabilem sponsum arderi; hinc fūsus in omnes amor , hinc æternum æternæ domūs incendium. Ardent omnes , ardent ubique & semper , pro Deo, prōque se in vicem.

Propone tibi ob oculos stadium quodam immensum , in quo decurrat amor triumphalibus quadrigis , cui cælestes ephebi aureis præludant in equis pronubi sponsæ, tædæque conjugales antistites. succedant his amici sponsi , dico Apostoli, Martyres, & Prophetæ, suo quique ordine , omnes in auro, omnes coronâ palmisque insignes. postremo loco veniat aureo super pheretro sponsa regios inter amplexus amore rabe scens, universis circumquaque applaudentibus, & ut in nuptiis, rosâ coronantibus & lertis. Hæc cæli vita, hic cursus, hic finis,

### §. 8. *Æternitas nostra.*

Sed sinè fine finis. Illa enim omnia quæ dixi, quodam æternitatis veluti sigillo mun-

ni-